



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 189. An obligatio recitandi Horas sit quoad Beneficiatos, etiam ex
justitia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

diei officium coalescunt in unum & conficiunt tandem notabilem quantitatem : Plures tamen apud *Gob. n. 609. & 618.* contradicunt, docentes eum non peccare mortaliter, qui ex singulis Horis omitteret duos psalmos & hymnum, eò quòd ad mortale videatur requiri, ut in una eademque hora omittatur pars notabilis, quæ sententia non videtur esse omnino improbabilis. Vide dicenda l. 5. n. 296.

§. III. Omittere totas Vesperas Sabbato sancto communiter censetur mortale, non ob quantitatem sed qualitatem, quia nempe sunt integra Hora & continent magnum mysterium : tamen hoc esse tantum veniale, probabiliter putant *Bonasp. Marchant. Pelliz. T. 1. tr. 5. c. 8. n. 93. Tamb. n. II. & alii apud Gob. n. 609.*, quia sunt parva oratio, & quidem in die lætitiæ, quo Horæ aliæ satis magnæ præcesserunt.

§. IV. Si Matutinum & Laudes constituent unam Horam, quod docent *S. Th. Suar. Diana p. 5. c. 14. R. 46. Gob. n. 557.*, probabile est plus requiri ad mortale, quàm medias Laudes : & hæc opinio, quòd Matutinum & Laudes sint una Hora, videtur probabilior contra *Nav. S. Anton. & alios*, quia quamvis Laudes se solis habeant formam unius Horæ, nempe antiphonas, psalmos, Capitulum, hymnum, orationem, tamen ea non habet Matutinum, unde videtur cum Laudibus conflare unam Horam, ita tamen, ut Laudes orentur per modum integræ Horæ.

§. V. Est obligatio sub veniali, ut tribus ultimis feriis septimanæ sanctæ etiam in privato officio ad lamentationes Jeremiæ addantur litteræ hebraicæ, aleph, beth, &c. saltem ubi in choro canuntur, quia privata oratio quoad talia debet conformari publicæ.

Q. 189. An obligatio recitandi Horas sit quo-
P p 4 ad

ad beneficiatos, etiam ex iustitia. R. Affirmant *Saur. Sanch. Fagund. & alii*, 1. quia fundatores videntur eo pacto obtulisse proventus beneficii, & beneficiati eâ conditione admisisse beneficia, sicuti Curati cum simili pacto admittunt curam. 2. Quia *Conc. Lateran. & Pius V.* dicunt beneficiatos, si non orent, non facere fructus suos; item injustè percipere, ergo. E contrâ negant *Az. Henriq. Dian. Garc. Salas, Homob. Castrop. Ills.* t. 5. n. 38., quia quamvis recitatio Horarum sit conditio, sine qua beneficiati non faciunt fructus suos, ideoque acceptos teneantur restituere, tamen sufficienter non constat recitationem illam esse debitam ex iustitia. Utraque sententia est probabilis.

1208

Q. 190. Quid addendum sit circa obligationem restituendi ob neglectas Horas. R. Seqq.

§. I. *Alex. VII.* damnavit has duas propositiones, 20 *Restitutio à Pio V. imposta beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Iudicis, eò quòd sit pœna.* 33. *Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea beneficiatus ex fructibus sui beneficii fecerit.* Ex his damnationibus constat beneficiatum, qui neglexerit Horas, teneri in conscientia ante omnem sententiam & declarationem restituere fructus tali negligentia respondentes, neque hanc restitutionem compensari per eleemosynas ante neglectam recitationem datas ex fructibus beneficii, ob quod tenetur ad Horas.

1209

§. II. Aliqui apud *Mendo* d. 7. n. 27. dicunt eum non teneri restituere, qui per alium recitavit Officium, quia ab alio solutum est, quod debebatur, ergo satisfactum est voluntati fundatorum. Hæc sententia non videtur probabilis, quia hoc ipso, quòd ipsemet